


Confirmatio Insulæ Suzariæ facta a Carolo Crasso Imperatore  
Aaroni Episcopo Regiensi, ejusque Ecclesiæ,  
Anno 883.

**I**N nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Karolus divina favente clementia Imperator Augustus. Si ut Sandorum loca ditenatur, quo eorum Præfules, ceterique Ministri uberioris omnipotenti Domino valeant deservire, munus quoddam conferimus Ecclesiæ divino cultui dicatis, nostrorum normam sequentes predecessorum, & in presenti seculo prosperari, (\*) atque in futuro veniam consequi non dubitamus eternam. Notum igitur industriae omnium fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque tam presentium quam futurorum fieri cupimus, quia venerabilis Liutwardus Episcopus, summisque Archicancellarius ac Consiliarius noster, suppliciter suggestit magnitudinem nostram, quatenus ob divini zelum intuitus, perpetuamque Imperii nostri divinitatis nobis collati stabilitatem, omnes res tam mobiles quamque immobiles, seu familias utriusque sexus, liberos, libellarios, servos, ancillas, & alios, Beati Prospere Confessoris Christi Episcopatus Regiensis unde cumque ipsi sancto Loco, cui Aaron reverentissimus Episcopus præesse videtur, juste & legaliter devoluta sunt, vel Dominus dederit quocumque modo, precipue quidem quandam Insulam diuidum nobis in ipso sancto Episcopio concessam, quæ nominatur Sugzara, in Comitatu Brixiensi, pertinens usque tunc ad jus Imperii nostri, posita inter Padum & Zaram cum Curte & Capillis, cum Piscaria atque Silvis, mansis quoque omnibus, qui sunt in ipsa Insula de predicto Comitatu olim pertinentibus, cum omni integritate rerum mobilium seu immobilium vel familiarum jure proprietario ad honorem ipsius sancti loci confirmaremus. Cujus precibus aures

A benivolentia nostra hilariter inclinantes, prefatae sanctæ Regiensis Ecclesiæ, in qua jam dicti Corpus Beati Prospere conjacet, eidem Aaron venerabili Pontifici, suisque successoribus ad utilitatem & exaltationem ipsius Episcopii cunctas res & possessiones legitimas predicti Pontificatus, & eandem Insulam Sugzaram cum Curte & Capillis, cum piscaria, silvis, etiam cum prenominatis Mansis, qui ibidem insunt ex jam dicto Brixiensi Comitatu olim pertinentibus, cum omni integritate rerum sive familiarum, cunctisque pertinentiis vel adjacentiis suis, fundis quoque & locis seu Paludibus & Insulis, ubiquecumque esse videntur in alveis vel curriculis Padi, sicuti ex antiquo ad ipsa loca pertinere videntur, quique ab hominibus ipsius Pagii nominantur Pullicini, per hoc nostræ pietatis Praeceptum perpetualter confirmamus, modisque omnibus stabilimus, quatenus idem Aaron reverendus Pontifex, ejusque successores potestatem habeant de his & omnibus aliis rebus ipsius sancti loci ad utilitatem sancti Episcopii facere secundum Deum, quod melius presiderint vel decreverint, remotâ totius potestatis inquietudine. Si quis autem, quod non credimus, hujus nostræ munificentia quolibet ingenio vel arguento violator extiterit, trecentas Libras auri obrizi componeare cogatur, medietatem Palatio nostro, & medietatem parti ipsius Ecclesiæ. Insuper etiam infamia publicâ notatus tamquam sacrilegus ab omnibus habeatur. Et ut verius credatur & diligentius ab omnibus observetur, manu propria subter firmavimus, & de bullâ nostra sigillari jussimus.

Signum R  
 Domini Karoli serenissimi Imperatoris Augusti.

Inquirinus Notarius ad vicem Liutwardi Episcopi & Archicancellarii recognovi.

Data VIII. Kalendas Junii, Anno Incarnationis Domini DCCCLXXXI. Indictione I. Anno vero Domini Karoli serenissimi Imperatoris III.

Actum in Monasterio Nonantole, in Dei nomine, feliciter. Amen.

Adsum foramina, per quæ transibant chordulæ bullæ pendentis.

Insula Suzaria, quam Carolus III. Augustus Ecclesiæ Regiensi confirmat, non alia fuisse mihi creditur, quam quæ adhuc Suzara appellatur, Castrum in Mantuano agro situm, sub Regiensi Diœcesi cis Padum, paucis a Wardistallo five Guastallâ millibus passuum distans. Hinc autem disce temporum & fluviorum vices. Tunc ea Insula erat in Comitatu Brixiensi pertinens. In Diplomate Ludovici II. Imperatoris eidem Ecclesiæ dato apud Ughellum in Appendice ad Tom. quintum, pag. 1568. primæ edition. memoratur etiam Insula Regni nostri Italicæ, quæ nominatur Suzaria in Comitatu Brixiensi, id est inter Padum & Zaram.

D Infra eadem Insula posita dicitur in Comitatu eodem Regiensi: sed mendum istud Ughellio excidit; rursus enim in archetypo legitur Brixiensi. In altero Diplomate Regiensi Ludovici III. Imperatoris occurrit apud eundem Ughellum Insula, quæ Erezara vocatur, inter Padum & Xaram fluvium constituta, cum aliis Insulis, quæ vulgo Pulcini vocantur. Corrigere & scribe, ut in autographo, quæ Suzara vocatur, & quæ vulgo Pulcini vocantur. Erant enim Pulcini, nunc Italice Polefini, quorum adhuc apud Ferrarentes frequens mentio, congettus terrarum, five Insulæ, quas Padus portiflimum, aliquæ fluvii tunc, fine lege vagantes,

(\*) Id est, prosperari: pro qua voce Scriba proferari

scripsit.